



**T**Heutobocus rex fuit Theutonū & Ambro-  
num, Anno mundi millesimo octingentesi-  
mo quadragesimo, atque ante Christum centesi-  
mo tricesimo. Erat homo eximiae magnitudinis,  
qui quaternos ac senos equos transcendere erat  
solitus. Cum autem eo tempore Cymbri, qui & i-  
psi Germaniae incolae erant, magno omnium gen-  
tium, praesertim Romanorum terrore, Galliam, I-  
taliā, & Hispaniam popularētur, atq; meliorem  
terrae habitationem quærerent, Theutobocus in-  
structissimis Teutonum copijs sese illis cōiunxit.  
Itaque factum ut in Gallia omnia longè lateq; de-  
uastarint, atq; in Italiā penetrare studuerint. Id

cum Romani percepissent, statim ipsorum conatibus obuiam ire censuerunt.  
Propterea C. Manlius & Q. Seruilius maximo exercitu circa Rhodanum eos  
aggressi, praelium inferunt. Verū tum uirtus Germanorum mirū in modum  
enituit. cum enim aperto Marte res gereretur, atq; omni dolo seposito, uir ui-  
ro congredederetur, Romani ingenti praelio à Germanis superati sunt. Nam ex  
Romanorum exercitu octoginta millia militum, atq; quadraginta millia Ca-  
lonum & Lixarum caesa, id quod antea Romanis nunquam cōtigerat. Nullo  
enim unquam praelio tanta uis hominum à Romanis desiderata fuēre. Propte-  
rea Capioni plebiscito Imperium abrogatum atq; eius bona publicata sunt,  
id quod post Tarquinium nulli acciderat. Eius autem uictoriae laus (Plutar-  
cho teste) penes Theutobocum & Ambrones fuit. Ea uictoria parta Cymbri  
& Teutones, infelici consilio usi, suas copias diuiserunt, atq; bipertito Italiā  
ingredi statuerunt. Propterea Cymbri impetu auersi, Noricos petunt, ibidem  
alpes superaturi. at Teutones in Romanorum conspectu magnam planitiem  
occupant, atq; Mariū Romanorum consulem maximum exercitum secum  
habentem, ad praeliū irritant. Verū is sese intra uallum tenebat, occasionem  
aliquam commodam expectans.